

d. Basilii (in Ps. 9) dicentis: *Mortalium vitam suam ducit esse emolumentum, propterea non dicit, salvavit eos. Si igitur tanta noscitur Dei esse benignitas, ut nostram salutem tanquam propriam ipse reputet, par pari ei nos rependere debemus, divinum honorem, et gloriam plus quam propriam defendentes: sic enim et ab ipso mirum in modum honorabimur, sicut et honoratus fuit Azarias, de quo dixit (2. Paralip. 6): Ipse est qui sacerdotio functus est: licet enim haec verba nullam specialem laudem praeserere videantur, cum et alii permulti sacerdotis munere functi fuissent, ut Aaron, et filii, et nepotes eius, et plerique alii qui ab his originem duxerunt, magnum tamen illius encomium fuit, quod inter tot sacerdotes de illo solo dicatur, ipse est qui functus est sacerdotio: id enim dixit Deus, quia ut (lib. 2. Paralip.) legimus, cum rex Ozias superbe tentavit incensum adolere in templo, ipse cum periculo etiam propriae vitae ei resisit in faciem, quia illud minus non pertinebat ad saecularia, sed ad sacerdotis. Zelus iste divini honoris adeo placuit Deo, ut hic solus videretur sibi esse eius sacerdos; et ideo dixit, ipse est, qui sacerdotio functus est.*

Quare, ut obiter id dicam, duo erga Principes et Magnates apprimè observanda sunt: primum, ut quantumcumque discolis debitus eis deferatur honor, et reverentia propter eorum dignitatem; secundum, vitia eorum reprehendenda esse, ut satis id nos docet historia illa (2. Reg. 28): *Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, et dixit ad Saul: quare impositisti mihi? tu enim es Saul: quomodo quæso, cum vidit Samuelem, continuo agnovit Saulem? maxime quod cum non agnovisset illum in propria persona, quia ratione potuit illum agnoscere in aliena? sane id collegit ex honore, quem Samuel delatit regi Saul, reverentiam illi tanquam regi exhibens. Licet autem Samuel debitum ei honorem impendit, acriter tamen eundem increpavit, ac tremendam sententiam contra cum divinitus latam ei promulgavit. Ecce illa duo observavit Samuel, Saulem tanquam regem honoravit, ut peccantem vero zelo Dei ductus graviter obiurgavit; cui sit honor et gloria in saecula saeculorum, Amen.*

HOMILIA XVI.

De statu viduitatis multa encomia recensentur, et quae insigniores viduae fuerunt, tam ex sacris, quam humanis literis commemorantur: ac permulta viduis documenta traduntur, in illa verba Lucae: Et erat Anna prophetissa filia Phannel de tribu Aser: haec processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua, et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor.

Quamquam mihi de s. viduitate loqui satgenitum usurpare non liceat illud Ovidii:

Salve virginie flos intemperate pudoris;

tamen haud malo aptari posse arbitror,

Continuos annos a funere coniugis uxor
Sustinet, in vidua tristia signa domo,

Hunc statum vitae Dido (*Aeneidos quarto*) sibi commendatissimum habet, dum sic effatur;

Sed mihi vel felix optem prius una dehisca,
Vel pater omnipotens adiget me fulmine ad umbras
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam.
Aute pudor quam te violam, aut tua iura resolvam.
Ille meos primus qui me sibi iunxit amores
Abstulit, ille habeat secum, servetque sepulcro.

Sed altitudo maiora encomia viduitatis nobis petenda sunt. In primis licet viduae sancta mundo viduae videantur, viduae tamen revera non sunt, utpole quae Deum ipsum sponsum habent eas protegentem ac defendentem: unde (*Exod. 22*) ipse ait: *Viduae, et pupillo non nocentis: si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego exaudiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, et percutiam vos gladio: et erunt uxores vestrae viduae, et filii vestri pupilli.* Rursus (*Deuter. 24*): *Non pervertes iudicium advenae, et pupilli, nec auferes pignoris loco viduae vestimentum.* Iob inter bona sua opera illud recenset: *Cor viduae consolatus sum.* In Psalmis David concinit (*Psal. 131*): *Viduum eius benedicens benedicam, pauperes eius saturo panibus: et alibi (*Psal. 143*): Dominus custodit advenas: pupillum, et viduam suscipiet, et vias peccatorum disperdet.* Isaïas (*c. 1*): *Subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam: et Jerem. (cap. 22): Viduam nolite contristare.* Rursus (*Proverbi. 16*): *Domum superborum demolietur, et firmos faciet terminos viduae: (Eccles. 35): Nonne lacrymae viduae ad maxillam descendunt, et exclamatio eius super deducentes eas? A maxilla enim ascendunt in coelum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis.* Zacharias (*c. 1*) clamat: *Viduum, et pupillum nolite calumniari: Ezechiel Ierosolymitanos increpat, quia pupillum, et viduam contristaverunt apud te.* Christus Dominus pharisaeis, et scribis male

imprecatur dicens (*Math. 23*): *Yae vobis scribae, et pharisaei hypocritae, qui domos viduarum coneditis.* Divus Iacob clamat, veram esse religionem custodire se ab hoc saeculo immaculatam, visitare viduas, et pupillos in tribulationibus. Hinc sacra Concilia non pauca, nec non sacrorum Canonum sanctiones nullae, viduarum protectionem et movent, et praecipunt: Concilium enim Ratisconense II. (*can. 20*) ait: *Quid Scriptura divina de viduis, et pupillis praecipiat nobis, clam non est, ideoque quoniam provisioni nostrae Deo auctore causae principaliter viduarum, et pupillorum sunt commissae, pervenit ad nos quod a iudicibus crudeliter pro levisimis causis, veluti defensoribus carentes, irremediabiliter affligantur. Ob hanc causam discernimus, ut iudices non prius viduas, et pupillos conveniant, nisi episcopo nunciarint, cuius sub velamine degunt. Quod si episcopus praesens non fuerit, archidiacono, vel presbytero mandamus, ut pariter sedentes communi deliberatione causis eorum terminos figant, ita iuste ac recte, ut deinceps de talibus ante dictae personae non conpussentur. Quod si is, qui iudex est, aut impetitor eis, aut iniuriam aliquam ingererit, aut defentionem tanti Concilii transgressus fuerit, a communione suspendatur. Quibus igitur magnum rerum causae commissae sunt, nec minuarum dignum est causas percipere personarum. Solent enim et minima paulatim despectu in malum magnum trahere: haec enim concilii Ratisconense. Audiamus nunc concilii Carthaginense quartum (*canon. 101*) in hunc modum loquens: *Viduae adolescentes, quae corpora debiles sunt, sumptus Ecclesiae, cuius viduae sunt, sustententur: et (canon. 103): Viduae, quae stipendio Ecclesiae sustentantur, tam assidue in Dei opere esse debent, ut et meritis, et orationibus suis Ecclesiam adjuvent: et (canon. 102): Ad reatum episcopi pertinet, vel presbyteri, qui parochiae praesent, si sustentandae vitae praesentis causa adolescentiores viduae, vel sanctimonialis clericorum familiaritatibus subiciantur.* Glossa etiam super illa verba Pauli (*ad Timot.*) *Viduas etiam, subiungit, sumptibus Ecclesiae sustentando, et solatis fovendo.* Accedit quod (*dist. 87. cap. 1*) dicitur ex Gelasio Papa: *Viduae autem, et orphanis Ecclesiae praesidium inzyrorantibus episcopi debent adesse, et contra inzyrorum violentias protectionis patrocinium eis negare non debent: et (caus. 23. q. 5. cap. reg.) regibus imponitur onus defensionis viduarum, in haec verba: Regum officium est proprium, facere iudicium atque iustitiam, et liberare de manu calumantium vi oppressos, et peregrinos, pupillique, et viduis, quod facilius opprimuntur a potentibus, praebere auxilium. Ac tandem posse viduam trahere laicum ad iudicium ecclesiasticum iuxta antiquum morem docet Panor. (*in cap. significant. de offic. delegat. et in cap. licet ex suscept. de foro competentis*). Posse etiam in favorem suum sequi domicilium mariti praemortui, tradit idem Panormita. (*in c. ex part. de foro compet.*).**

Ceterum iam quae sacra eloquia commemorant, necnon et profana monumenta contestantur de praeclearis viduarum gestis, in medium producamus, Iob usque opera viduae thecaitis

perfecti, ut David rex filium suum Absalonem in gratiam reciperet. Susanna, cum discrimine vitae et honoris, contra lascivos senes casitatis victoriam reportavit, et cunctis foeminis vivum pudicitiae exemplar extitit. De Iudith saecrae literae haec referunt: *Et erat Iudith in domo sua vidua annis tribus, et mensibus sex: in superioribus domus suae fecit sibi secretum: cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, et habens super lumbos suos ciliolum, teinabat omnibus diebus vitae suae. Ac ne quis illam sanctam viduam necessitate potius paupertatis, quam devotione cordis existimet ieiunasse, audiat quid de ea in subsequentibus sacer textus dicat: Et erat, Iudith, elegantis aspectu nimis, cui vir suus reliquerat ciliolum nullas, et familiam copiosam, ac possessiones armentis bonum, et gregibus ovium plenas. Ecce vidua praecleara natalibus, et multis facultibus dives, aetate juvenis, specie mirabilis, divitias contempsit, delicias respuit, carnis incentiva calcavit, et indula virtus ex alto, non quaesivit secundo famulari conubio. Denique cum Holoferae innumero Bethuliam obessidet exercitum, ut omnis Israelitarum virtus perturbata languesceret, egreditur castitas oppugnatura lasciviam, et ad interitum superbiae humilitas sancta procedit. Ille pugnat armis, ista ieiuniis. Ille ebrietate, ista oratione. Igitur quod omnis Israelitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perficit. Obtruncavit una mulier tantum agminis ducentem, et insperatam Dei populo reddidit liberatam. Ad haec, quam incalculabilis sanctae Annae conversatio fuerit, satis nolim est, cum demonstrarem. De ea s. Lucae sic loquitur: Et erat Anna prophetissa filia Phannel, de tribu Aser, et haec processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua: et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor, quae non discedebat de templo, ieiunans, et observationibus serviens nocte et die. Hanc sacram viduam Cyrillus Ierosol. monialem vocat his verbis: *Et Anna prophetissa continens, et religiosissima monialis testatur de ipso.**

Amphilochius vero episcopus Iconii de concursu Domini, et Dei genitricis, his verbis laudat Annam: *Corona viduarum venerat Anna, sexu mulier, ordine prophetissa: versans in regno, corpore laza ac remissa, animo firma ac nervosa, facie rugosa, explicata autem prudentia, senio incurvata, recta incedens cognitione, multitudine annorum inveterata, rutiliter vero exultans divina scientia: ieiunans, et non se explens ad satietatem: orans, et non vacillans, et domos alienas non obiens: pallens, non murgans: prophetans, et non dicens fabulas: divina meditans, et quae sunt turpia non addicens. Iste autem duae insignes viduae Iudith, et Anna, licet tempore fuerint diverso, unius tamen fidei servierunt ambae mysterio: quia Christum quem Anna cognovit in carne natum, ipsum Iudith noverat nasciturum. Quam vero multum Deus in utraque vidua continentiam sibi placitam demonstravit? Nam Iudith spiritalibus armis accincta, caput lascivi praedonis abscedit; Anna vero ipsum caput Ecclesiae Spiritu sancto repleta cognovit: datus est Iu-*

dith Holofernis interitus, Annae revelatus est Salvatoris adventus: illi Deus dedit a populo repellere pestilentiam, huic tribuit humani generis agnoscere medicinam; et quia sancioniam virginalem vidualis continentia gradu inferiore subsequitur, ideoque postquam de virgine natus est Filius Dei, vidualis linguae dignatus est officio praedicari. Quid plura? dicam quod d. Ambrosius (*lib. de viduis*): *Quia proluxum est compecti omnes, cognoscite aliquas, et praecipue Deboram, cuius nobis prodidit Scriptura virtutem. Haec enim docuit non solum viri auxilio viduas non egere, verum etiam viris posse esse subsidio: quae nec secus infirmitate revocata, munia virorum obeunda suscepit, et suscepta cumularit. Denique cum Iudaei Iudicum repperent arbitrio, quod viri illi non poterant, vel acquitate regi, vel virtute defendi, bellis hinc inde ardentibus, Deboram, sibi cuius repperunt iudicio, conparant. Itaque multa millia virorum una vidua, et in pace rexit, et ab hoste defenit: et paucis interpositis subdit. In mulieris manu summam fuisse victoriam docet Barach filius dicens: Nisi tu veneris mecum, non ibo, quia non novi diem, in qua dirigi Dominus angelum suum mecum. Quanta ergo foeminae istius virtus, cui dux dicit exercitus: Nisi tu veneris, non ibo? Quanta, inquam, viduae fortitudo, quae a periculis filiorum nec materno revocat affectu, immo ad victoriam filium studio matris hortatur dicens, quod in manu mulieris sit summa victoria. Ac tandem recesent magnanimitem habelem, quae fortissimum Sisaram clavo eius tempora transligens interfecit. Silentio praeterea insignem ilam Machabaeorum matrem, necnon Symphorosam, et alias similes, quae proprios filios ad martyrii palmam obtinendam persuaserunt.*

Varios tamen honores viduis delatos, si placeat, commemoremus. Elias inter innumeras foeminas ad Sareptanam viduam divertere divinitus iussus est. Nohemi vidua sancta cum utraque nura sua summam a Deo benedictionem consequuta est, ut habetur (*l. Ruth*). Mulieris viduae filium unicum mortuum resuscitavit Eliseus, et miraculum etiam magnum patravit de multiplicando oleo, ut illa debita solveret. Dominus etiam viduae filium ad vitam revocavit, et miseris illius consolatus est eam, monaque ne fletet. Iterum iudicem iniquitatis vocat, qui viduam iudicio non defendit. Denique viduarum precibus commotus d. Petrus Dorcaeam defunctam virtute Christi Domini resuscitat, et viduis reddit eam vivam.

Ethnicis deinde viduas in maximo honore fuisse, multis argumentis evinci potest. Aloyne namque defuncti viri funus semper plorans vixit. Unde poetae fingant, Iononem quoque pietate facti commotam fuisse, ut Irim nunciam mitteret ad aulam Somni, ut Morpheae ad Aleyonem mandet, quae ipsam edoceat rem gestam, causamque funeris mariti, et consoletur. Ovidius (*metamorph. 11*) laetissime hanc fabulam prosequitur:

Omnibus illa quidem superis pia thura ferebat:
Ante viam cinctos Iononis templa colebat.
Prope tamen qui nullus erat, veniebat ad aras.

Ut quae foret sospes, coitum suus utque rediret
Oplabat, nullamque sibi praeferebat et illi:
Hoc de tot votis poterat contingere solum.

Unde impetrat, ut mutata ipsa in pulcherrimam avem, mariti naufragi corpus inquireret, reperitque rostri duri nequaquam osculis fatigaret:

Sed tandem superis miserantibus ambo
Aliter mutantur fati obnoxii iisdem.
Tunc quoque mansit amor, nec coniugale solutum
Foedus, in alitibus coeunt, fiantque parentes
Perque dies placidos, hyberno tempore septem
Incubat Alcione pendensibus aequore nidis:
Tu via, tu a maris ventos custodit, et aerec
Aeolus egressu, praestaltaque nepothis aequor.

Ex quibus facile colligitur quomodo veteres viduali castitati tribuerint. Sed et uxor Pici regis Latinorum, defuncto marito, in perpetua viduitate mansit: atque lugens ad mariti funus, quem ardentem amabat, contabuisse a poësis fingitur, et pietatis nomine, ad aeternam memoriam, a Diis mutata in locum mari proximum. Ovidius hanc quoque rem involutam fabulis narrat (*Metamor. 14*) dicens:

Illic cum lacrymis ipsos modulata dolores
Verba sono tenui maerens fundebat, ut olim.
Carmina iam moriens canit exoptata clypeus
Lacubibus extremum tenes liquefacta medullas
Tabuit, loque leves paulatim labuit aras.
Fama tamen signat, loco est, quem iste canentem
Nominde de Nymphae veteres dixere colui.

Nec omitam tertium exemplum, ut tres crateres libandis, satis faciamus: quod ut recentis, ita pulchris. Hersilia fuit Romuli coniux; ea diu maritum luit, viduamque semper mansit, de qua sic Ovidius (*Metam. 14*) eam laudans canit:

O e de laio, o de gente Sabina,
Praecipuum Matrona deus, dignissima tanti
Ante fuisse viri coitum, nunc esse Quirini.
Iste tuos fetus, et si tibi cura videndi,
Coniugis est, dure Melancum pete, colle Quirino
Qui viret, et templum romani regis obumbrat.

Apud Romanos etiam antiquus mos fuit, ut tempore nuptiarum nulla foemina quae bis nupta fuisset, permitteretur, quoquomodo novam sponsam tangere, sed tanquam impura ab eo tacta arcebat.

His omnibus appono digniorem aliam viduitatis laudem, quod virginitati valde affinis, multumque illi permixta, immo et quod excellentius est, ipsius virginitatis documentum esse perhibetur, ut eleganter docuit divus Ambrosius (*tom. 4. lib. de viduis in principio*) in haec verba: *Nec enim inhonoras viduas debuius praeterire, et a virginitate praeracione separare: quas apostolica sententia cum virginitate copulavit, iuxta quod scriptum est: Et mulier inuupta, et virgo cogitat, quae sunt Domini, ut sit sancta corpore, et spiritu: quodammodo enim magisterium virginitatis, viduarum*

valescit exemplis, quae cum viro castum cubile custodit, documenta virginitatis sunt, integritatem Deo esse serendam: et propemodum non inferioris virtutis est, eo abstinere coniugio, quod aliquando delectaverit, quam coniugii oblectamenta respicere. Quod si naturali ratione rem hanc metiri licet, quamvis saepe in virginitate concupiscentiam angeat, et desiderium accendat experiendi congressum viri falsa existimatio maioris delectationis, quam revera sit, nihilominus tamen regulariter maiorem sustinet difficultatem se continendi viduae quam virgines, ut non obscure colligitur tum ex Aristotele (*l. de Anima*) dum ait, quod iuvenulae corruptae magis appetunt maritalem amplexum propter rememorationem delectationis: tum ex d. Hieronymo (*de commend. vidua*) ubi inquit: *Quanto maior est difficultas foeminae delectationis carnis quondam expertis a voluptatibus abstinere, tanto maior est merces earum: Consonat his quod beatus Ioannes Climacus, ad referent d. Bernardino (*ser. de tribus stat. vidui*) dicebat, quod incertae libidinis vitia non tam arriter tentantur a spiritu lucurosis, sicut quae expertae sunt. Ac tandem Androtius (*lib. de statu viduae*) ait, quod licet viduae propter primas nuptias, quibus matrimonium consummarunt, praeferant virginitatis auream amiserint, pudicitiae tamen splendida corona decorantur.*

Cum igitur tot sint viduitatis encomia, tot praerogativae, tot denique tam divina, quam humana privilegia, quid quaeso dubitas, o vidua, in sancta viduitate permanere? ut quid animum tuum secunda nuptiae sollicitant? libertate donavit te Dominus, et tu misera in servitute unius hominis redigi contendis: O minus sapiens cogitatio! uxor Loth, quia retro respexit, in statuam salis conversa est. Cave vidua, ne retro respiciens, in statuam opprobrii convertaris. Refert enim Fulvius Androtius (*de statu viduali*), filium magni philosophi Catonis, cum audiret pudicitiam cuiusdam foeminae bis nuptae commendari, hanc protulisse sententiam: *felix ac pudica foemina non bis nubet. Quid? quod et plantae, et animalia viduitatem exemplo suo colere moent: ut enim auctor est Berchorius verbo viduae, palma foemella praecisa palma mascula sibi cohaerente intra triduum sterilesit: turtur etiam, ut idem testatur, amisso primo consorte, secundum non quaerit.*

Verum in hoc genere argumenti malo viduas sanctos Patres auscultare, quam me. Divus Ambrosius (*libro de vid.*) hanc egregiam doctrinam in haec verba nobis reliquit: *Nec aliud reprehenditur, ut aliquid praedicetur: sed omnia praedicantur, ut quae meliora sunt, praeferrantur. Honorabile itaque coniugium, sed honorabilior integritas: nam et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, et qui non iungit, melius facit. Quod igitur bonum, non videndum est: et quod est melius, eligendum est. Itaque non imponitur, sed praeracionitur; et ideo bene Apostolus dixit: De virginitate praeracionem Domini non habeo, consilium autem do: etenim praeracionem in subditos fertur, consilium amicis datur: ubi praeracionem est, ibi lex est: ubi*

consilium, ibi gratia est: et paulo inferius haec subiungit: *Non ergo copula nuptialis quasi copula vitandae, sed quasi necessitatis sarcina declinandae. Lex enim atrinxit uxorem, et in laboribus, et in tristitia filios generat, et conversio eius ad vitrum sit, quod et ipse dominetur. Ergo laboribus, et doloribus in generatione filiorum addictur nupta, non vidua: et dominatus viri sola subditur copulata. Divus Augustinus (*l. de bono vid. de Jul. vid.*) haec magna observatione digna, et huic argumento valde consentanea his verbis scripsit: *Sancta Ruth, cum semen, quale illo tempore necessarium fuit in Israel, non haberet, mortuo viro, quaesivit alterum, de quo haberet. Haec itaque bis coniugata; ideo Anna uno viro viduata beatorum fuit, quia et prophetissa Christi esse meruit. Quam credendum est etiam, si filios nullos habuit, quod quidem Scriptura reticendo reliquit incertum, eo spiritu praevidisse Christum ex Virgine proxime esse venturum, quo potius agnosceret et parvulum. Unde merito etiam sine filiis, si tamen eos non habuit, secundas nuptias recusavit: quia noceat iam tempus esse, quo Christo non consilio parandi, sed studio continendi, nec coniugialibus factandis rescriberis, sed castificandis vidualibus moribus, melius servatur. Nonnullis autem interpositis haec subiungit: *Invenisti tamen mater, et filia, cui contemptis nuptiis illa omnibus, tu secundis pulchritudine castitatis, simul placere debeatis. Certe si mariti essent, quibus placendum esset, iam te fortasse cum filia pueret ornari. Nunc non pudent agere quibus simul ornemini, quia non est criminosum, sed potius gloriosum, ut ab illo uno simul amemini. Simulatum autem candorem ac ruborem, et pigmentis illium non adhiberitis, etiam si viros haberetis; non putantes dignos, quos falleretis, nec eos quae fallere deberetis. Nec ergo illi regi, qui unicae sponsae, cuius membra estis, speciem concupiscit veraciter simul placere. Inhaerete illa integrum virginitatis, tu continentia viduali, ambae pulchritudine spiritali. In qua pulchritudine etiam secrus tua, quae iam certe senuit, est pulchra roborem: vigorem quippe huius pulchritudinis, dum extendit in anteriora charitas, rugam in ea non facit annositas. Denique noceat sanctus Bernardinus (*tom. 4. ser. 3*), ut iustat viduas melius esse ad secundas nuptias non transire, hoc genere argumenti utitur. Vel secundus maritus futurus est bonus, vel malus: si bonus, sicut primus, semper vexabit timor mortis illius; si vero malus, sicut primus, necesse est duplicari dolorem: et infra addit haec verba: *Si habes filios, vel filias ex primo, vel tuas secundas maritus habet filios, vel filias ex prima eius uxore, et tunc tu nunquam habebis pacem, quia si tractas filios tuos melius, quam suos, tu eris inimica tui mariti, et filiorum suorum; si melius tractas suos quam tuos, tu efficiaris inimica tuorum propriorum filiorum; et e contra, et sic tu nunquam habebis pacem. Sed sublimiori stylo divus Hieronymus (*ep. ad Fur.*) eandem doctrinam in hunc modum suadet: *Si habes liberos, nuptias quid requiris? Si non habes, quare expertam non metuis sterilitatem, et rem incertam certo praesfers pu-*****

dor? scribantur tibi nunc sponsales tabulae, ut post paululum testamentum facere compellaris; simulabitur mariti infirmitas, et quod te morturum facere volet, ipse victurus facit: aut si evenierit, ut ex secundo marito habeas filios, domestica oritur pugna, intestinum praedium. Non licebit tibi amare liberos, nec aquis aspiceri oculis, quos genuisti. Clam porriges cibos, invidabit mortuo, et nisi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Quod si de priore uxore sobolem habens domum te introduxerit, etiam si clementissima fueris, omnes comaedii, et mimographi, et communes rhetorum loci in nocentem saevissimam declamabunt. Si privignus languerit, et condoluerit caput, infumaberis ut malefica; si non dederis cibos, crudelis; si dederis, venefica diceris. Oro te, quid habent tantum boni secundae nuptiae, ut haec mala valeant compensare? Accedunt ad haec, quae sapienter divus Fulgentius (epistol. sec. ad Galb.) de statu viduarum in hunc modum disseruit: Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat. De vidua vero dicitur: Beatorum autem erit, si sic permanserit. Beata ergo quae illicitum concubium turpitudinis horrore non appetit, sed beatorum quae licitum maiore puritatis amore contemnit. Beata quoque alligata viro sic vivit, ut soli viro carnis suae debitum reddat. Sed beatorum quae soluta, sic permansit inupta, ne debeat. Proinde in eo quod ex coniugata facta est vidua, donum Dei auctum tibi magis existima, non oblatum. Neque enim te deseruit, qui tibi sequendum vitam vitae melioris ostendit. Gradibus te voluit Dominus ad meliora conscendere, ut primitus coniugata cum uno viro fideliter viveres, quod postmodum sine difficultate absque viro vidua permaneres. Ad hoc igitur animum tuum divina gratia coniugali castitate nutrit, ut quae didiceras illo uno vivente alterum non quaerere, disceres ab omni viro vidua contineri.

Ceterum quia efficaciora sunt exempla quam verba, insignes foeminae, quae viduitatem mirifice coluerunt, in medium producam. Divus Hieronymus (ep. ad Fur.) ait, Paulae illustri matronae romanae eam laudem merito tribuendum esse, ut defuncto marito, spretis omnibus carnis illecebris, ac saeculi huius oblectamentis, nullius rei sollicitorem curam adhiberit, quam perpetuo servandae castitatis: cuius exemplum secuta pulchra eius filia Blesilla, idem prorsus praestitit immaturo viduitate praeventa. Nec minori laude dignam existimandum censeo Melaniam, quae cum primum vir eius vitam exhalavit, antequam corpus sepulture mandaretur, continuo, et absque ulla mora viduitatem suam Domino consecravit. Huius inferiorem non arbitror Eurfrasiam, romanam etiam foeminam, quae, mortuo marito, licet alioquin aetate florida, facie venusta, nobilitate clara, divitiis affluens, et ab imperatore rogata ad secundas venire nuptias, id constantissime recusavit, et in Thebaidam se contulit, ubi perpetuam coluit viduitatem. Eius persimile fecisse legitur Elisabetham regis Ungariae natam, quae viro orbata, regalibus deliciis contemptis, in curan-

dis pauperibus infirmis tota incubuit, nullam praeter divinum admittens Sponsum, quem in singulis illis egenis contemplantur. Sed clam iri adhuc ac mirabilior exitissime perhibetur Constantia Constantini imperatoris filia, quae a viro suo Helicano, exercitus romani supremo duce, precibus suis obtinuit, ut baptismatis fonte ablutus perpetuam castitatem voveret, ut hac ratione ipsa, et uxorata, et virgo maneret. Accedit quod Cornelia Africana filia, et usor Tiberii Gracchi, quae defuncto suo consorte regis Ptolomei nuptias sprexit. Sed nec silentio praeteribo Galliam, Simmachi consulis filiam, clarissimam foeminam, quae cum vidua facta molesto quodam leprae genere laborare inciperet, et a medicis frequenter moneretur secundas nuptias celebrare, alioquin nusquam ab ea infirmitas liberandam; illa quidem bono genio, et spiritu afflata, vidualem continentiam tanti fecit, ut propriae salutis et vitae illam praeferebat, maluerit sanitatem et vitam, quam castitate viduali privati. His adnecto romanam aliam nobilem matronam, nomine Annam, singularem pudicitiae adamatricem, quae importunis precibus a consanguineis suis obsecrata, ut iterato matrimonio contraheret, ipsa renuit, hanc proferens sententiam: Aut futurum mihi maritus bonus, vel malus evadet; si bonus, in continuo timore illum amittendis semper versabor; si vero malus, expedit magis mihi malum hoc non experiri.

Christo prudenti sententiae non dissimilis fuit illa alia Olympiae, sancti Ioannis Chrysostomi fidelissimae discipulae, constantinopolitanae viduae: quae cum per annum et dimidium dumtaxat vir eius post initium matrimonium supervixisset, et ab imperatore Theodosio virum alium accipere moneretur, sapienter respondit: Si Dominus voluisset me viro nuptam esse, non tanto cito illo me orbasset: ergo agnovit, non amplius expedit mihi coniugium, coniugem abstulit; quomodo nunc credam expedit, ut viro novo coniugar? His adnecto quae divus Hieronymus (epistol. ad Ageruch.) in hunc modum scripsit: Legimus in veteri testamento semel maritalitas filias sacerdotum, si viduae fuerint, vesci debere de sacerdotalibus cibis, mortuusque sic a patre exhibendum inferiarum officium; sin autem tunc alios viros acceperint, alienas eas et a patre et a sacrificiis fieri, et inter externas debere deputari. Quod quidem observat et gentilitas in condemnationem nostri; sic? hoc non exhibeat veritas Christo, quod tribuit mendacium diabolo, qui et castitatem reperit perditricem? Hierophanta apud Athenas estrarat, et aeterna debilitate fit castus. Flamen unius uxoris ad sacerdotium admittitur. Flaminica quoque unius mariti eligitur uxor. Ad lauri Aegyptii sacra semel maritus assumitur. Ut omittam virginem Vestae, et Apollinis, Iunonisque Achaiae, et Dianae ac Minervae, quae perpetua sacerdoti virginitate marcescunt. Stringam breviter reginam Carthagini, quae magis ardere voluit, quam Hiabae regi nubere; et Hasdrubalis uxorem, quae apprehensis utraque manu liberis, in subiectum se praecipitavit incendium, ne pudicitiae damna sentiret; et Lucretiam, quae amissa gloria castitatis, noluit pollutae conscientiae supervivere.

Quod si quispiam conanti mihi viduitatem sectandum persuadere, obiciat illud divi Pauli (1. ad Timoth. 5): Volo viduas iuniores nubere, filias praecare, matresfamilias esse, sciat ibi loqui Apostolum de viduis vagis, ac petulantibus, de quibus ipse praedixerat: Cum luxuriantes fuerint, nubere volunt; talibus utique expedit nubere, quoniam matrimonium non solum est in officium naturae, sed in remedium concupiscentiae; unde et Apostolus dixit (1. Corinth. 2): Metus est nubere, quam viri: in quae verba d. Ambrosius (lib. de vid.) inquit: Utique pro remedio nuptias suavit, ut peritura sanetur, non pro electione praescripsit casta et continens quid sequatur, aliud est enim subverti labenti, aliud suadere virtuti. Praedicam autem Paulini loci expositionem legitimam esse d. Augustinus testatur his verbis: Cur hoc dixerit, pandit Apostolus, cum adiungit, et dicit, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia; iam enim quaedam conversae sunt retro post satanam: ut his verbis eius intelligamus, eas quas nubere voluit, melius posse continere, quam nubere; sed melius nubere, quam retro post satanam ire, id est, ab illo excellenti virginis, vel vidualis castitatis proposito in posteriora respiciendo cadere et interire. Proinde quae se non continent, nubant, antequam continentiam profectant, et antequam Deo vocent; quod nisi reddant, iure damnantur. Alio quippe loco de talibus dicit: Cum enim in deliciis egerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id est, voluntatem ad nuptias, a proposito continentiae deflexerunt. Irritam quippe fecerunt fidem, quam prius vocerant, quod perseverantiam implere noluerunt.

Per haec tamen non nos damnare intendimus viduas ad secundas nuptias transeuntes; non transeuntes tamen magis praedicandas asserimus iuxta d. Pauli, et Augustini doctrinam, qui (lib. de bono viduitatis ad Julian.) ait: De tertius, et de quartis, et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere questionem. Unum breviter respondeam: nec ulla nuptias audeo damnare, nec eis recrudendum numerositatis aufere. Sed ne cuiquam brevitatis huius responsionis meae forte displicat, uberius disputantem reprehensorem meum audire paratus sum. Fortassis enim offert aliquam rationem, quare secundae nuptiae non damnentur, tertiae damnentur: nam et ego sicut in exordio sermonis huius admonui, non audeo plus sapere, quam oportet sapere. Quis enim sum, qui putem definendum, quod nec Apostolum video definisse? Ait enim: mulier alligata est legi quamdiu vir eius vivit: non dicit, primus, aut secundus, aut tertius, aut quartus: sed mulier, inquit, alligata est, quamdiu vir eius vivit; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est; cui vult, nubat, tantum in Domino; beatorum autem erit, si sic permanserit. Quid huic sententiae, quantum ad hanc rem attinet, addi, vel detrahi possit, ignoret. Ecce non damnatur tamen ad secundas nuptias transit; feliciter tamen ac beatorum quae ab hoc transitu se abstinet, apostolicum eloquium perspicue contestatur.

Quia tamen in promptu est multarum vi-

duarum responsio, asserentium, defunctis viris multis periculis expositas manere, et subsidias quae ab eis subministrabantur penitus privatas: et ideo ut eam iacturam resarciant, opus sibi esse secundas nuptias quaerere: occurrit sapienter huic vanae excusationi doct. Ambrosius in haec verba (lib. de viduis): Cum in omni terra esset fames maxima, viduae tamen Deo cura non defuit: ad atendum eam propheta directus est: et quibusdam aliis interpositis subiungit: Non enim duobus destituta filiis et marito, quae fructus fecunditatis amiserat, pietatis emolumenta perdidit: nam et solatiu moreris, et subsidium paupertatis invenit. Viduis igitur sanctae foeminae, quam fecunda sit vidua prole virtutum, meritiorumque suorum sobole, quae perire non possit. Bona igitur vidua egere non necesse est: et si fessae fuerit aetat, et supremas paupertatis, eruditionis tamen suae sollet habere mercedem: et si proximi deserint, invenit tamen extraneos, qui matrem colant, reverentur, parisque alimentorum sumptibus mercedem cupiant suae commendationis acquirere. Plus enim viduae rependunt merita, quam viduus quaerit, sumptus impendit. Sed tristes videtur ducere dies, et lacrymis tempus exigere. Hoc beatorum, quod perpetua sibi gaudia exquiris felibus emittit, parisque momentis temporis acquirit aeterna; haecenus divus Ambrosius.

Postquam tamen multis conati sumus hucque viduitatem persuadere, operae pretium iam erit, quibus praecipue virtutibus eius cultrices praefulgere debeant, breviter ostendere. In primis oportet eas castitatem amplecti, et ab omni viro suspecto consortio se abstinere, ut et nomen ipsum viduae praesefert. Vidua enim a multis dicitur sine dotalitate, sicut Veores, idem est quod sine corde, et Vesanus, sine mentis sanitate, ut habetur in lege malum §. vltimam. ff. de verborum significatione; vel ut aliis placet, Vidua dicitur quasi Idua, hoc est, a viro divisa: idcirco enim Eflrusca lingua dicitur est. Viduae igitur nomenclatura divisionem, ac separationem a viro aperte satis indicat. Ad te ergo, o vidua, dicitur (Ecles. c. 3): Tempus amplectandi, et tempus longi fieri ab amplectibus. Unde cum iam primum illud tempus acceperis, ne contemtas, oportet accipere secundum: in primo illo tempore adhaerens sibi homini, in hoc secundo felicitas adhaerere Deo, et cane laeta cum propheta (Psalm. 27): Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Deo spem meam: sic enim Apostoli documentum observabis dicentis: Quae autem tere vidua est, et desolata, speret in Domino, et instet in observationibus, et orationibus nocte et die; alioquin libidini vacans audies divum Augustinum (lib. de bono viduitatis) dicentem: Quando pro deliciis nuptiarum, quas in carne virorum habent, aliarum carnalium deliciarum, tanquam in solatio usus assumitur, quae ego dicam quae sequantur mala, cum brevier Apostolus dixerit, eventum mortuam esse viduam, quae in deliciis vivit. Ut autem idem magnus doctor sanctus Augustinus ad castitatem sectandum viduas commoneret, haec ratiocinatione utitur (ibid.): Nonnullae foeminae, nuptias cogitantes, et ardenter optantes, dum sperantur, aut differuntur, re-

pente senuerunt, ut eas nubere iam puderet amplius, quam liberet. Multae autem nuptiae recentissime sua coniunctione, in longinquum profectae viris suis, reditum eorum expectando, grandevae factae, et tanquam cito viduae aliquando nec remeantes, saltem senes suos anus suscipere meruerunt. Si ergo vel spernentibus, vel tardantibus sponsis, vel peregrinantibus maritis, carnalis concupiscentia potuit contineri, ne stuprum, aut adulterium committeretur, cur contineri non potest, ne sacrificium committatur? si repressa est, cum fecerit dilata, cur non opprimatur, cum frigerit amputata? Plus enim ardentem ferunt libidinem, quae non desperant eiusdem voluptatem. Quae autem inuuptiarum castitatem Deo coeant, ipsam spem subtrahunt, quae fomes amoris est, unde facilis concupiscentia refrenatur, quae nulla expectatione succenditur, contra quam tamen nisi ortur, ut superetur, ipsa illicita exoptatur ardentius.

Isaia propheta (c. 4) ut significaret castitatem viduitatis individuum comitem esse debere, dixit: Venerunt tibi haec duo similiter, sterilitas, et viduitas. Sed pro dolor! Sunt non paucae dicentes quod propheta ibidem ait: Non se debet vidua, et sterilitatem ignorabo, immo quod turpius est, non desunt quae dicere non veniunt illud (Apoc. 18): Sedeo ut regina, et vidua non sum. Equidem si Spiritus sanctus dixit: Musica in luctu importuna narratio, cum lugubri viduae statu voluptatis et libidinis tympanum admisceri, non solum importuna, sed valde execranda abominatio censeri debet. Perpendat ergo vidua lascivens quae viduae Hieronymus (epist. 9. ad Salvinam) scripsit: Tu vero quae in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates, quassatas purpurisso, et cerussa faciem super secerum eius lacrymis diluisti, quae pullam, tunicam, nigrosque calceolos candidae vestis, et aurati socii depositione sumpsisti, nihil habes necesse aliud, nisi perseverare in iunio. Pallor, et sordes gemmae tuae sint: plumarum mollities iuvenilia membra non fovet; balnearum calor novum adolescentulae sanguinem non incendat.

Ut tamen vidua religiosum viduitatis statum perseveranter conservet, oportet in primis ab omni orandi, et comendi se cura longe alienam esse: etenim de habitu eorum loquens d. Fulgentius (epist. 2. ad Gallam) de statu viduarum ait: Si sanctae mulieres, etiam conjugatae, non sunt monilibus comendae, sed moribus, et eo magis humilitate debent orari, quam veste: qualis debet esse viduae habitus et incessus, quae non homini viro cupit placere, sed Christo? quae necessitate corporalis absoluta comitibus, spiritualia tantum debet ornamenta sectari? Habitus ergo talis sit, qui non ad lasciviam excitet, sed ad continentiam provocet: qui non alleiet ad libidinem, sed comprimat ad timorem: qui non accendat carnis concupiscentiam, sed extinguat. His adiungit quaedam alia castitatis adminicula, viduis valde curanda, Dionisius Richel (tractatu de laudabili vita viduarum, articulo quinto), dum ait: Cum iuxta doctrinam Apostoli, vidua quae in deliciis vivit, mortua est, ad viduas spectat mundanas consolationes contemneret, sensuales delectationes abicere, cachinnatio-

nes, loquacitates, dissolutiones vitare; in cibis, et potibus necessitatem naturae, non voluptatem gustus optare; in vestibus quoque, lectisteriis, ac somno, non mollitiem carnis, aut superfluum repausationem, sed solam decenti am, indigentiam quae naturae exquirere. Ut autem viduae ad haec exequutioni mandanda magis excitentur, divus Antoninus (3. par. summae Theol. tit. 2. cap. 3. de statu vidua) haec scripsit: Lucas narrat quod Christus respiciens viduitatem quoniam in gazophylacium plurimos; vidit autem quandam et viduam pauperulam iniicientem duo aera, et dixit: omnes enim hi ex abundantia contulerunt dona Dei, illa vero ex defectu suo per totam vitam, quod habebat, dedit. Patet hic, quod duo aera dat vidua, quae etiam minima sint, et quibus minora nemo intulerat; tamen omnia alia bona parva habentur, vel si placet, partem simpliciter obtulerunt ad duplum. Castitas itaque matrimonialis non nisi unum aes inferi; et tribuit Deo, tametsi filios signat plurimos, et plurima dare videatur. Atque castitas vidualis, ex animo sancto, quae habet dat, et duo dat aera: nam virginitatem, quae omnia superat, et tria offert aera, ut perfecta in trino illa offerre non poterat. Ut igitur viduae inferat duo aera templo, per totam vitam caste degant, deficientemque sibi virginitatem appellant.

Oportet deinde, ut sancti Patres observant, viduas avaritiae non inservire, sed in pauperes liberales existere. Unde d. Augustinus (lib. de bono viduit.) tradit se experimento comperisse, quanto nonnullas viduas carnis voluptates contempserit, tanto in pecuniarum amore exarsisse. Verba eius tanto doctore digna haec sunt: Absit autem a vobis, ut dicitarum cupiditate capiimini pro cupiditate nuptiarum, nec experti sumus, in quibusdam lascivia compressa, crevisse avaritiam. Nam sicut in ipsis sensibus corporis acutius audiunt qui non vident, et tangendo multa discernunt, nec tanta vivacitate tangunt qui oculis utuntur; ubi intelligitur ex uno aditu, id est, luminum repressa intentione, sentiendi vim in alios sensus promptiorem dignoscendi acumine exerere, tanquam ex altero conetur implere quod negatur in altero; ita etiam saepe carnalis cupiditas a concubendi voluptate cohibita maioribus viribus in pecuniae se porrigit appetitum, et illic aversa, huc se impetu ardentiore concertit. In vobis autem amor dicitarum simul frigescat cum amore nuptiarum, et pius usus rerum, quas possidetis, ad spirituales delicias conferatur: ubi liberalitas vestra magis fervet adjuvantis egenis quam dilandis avaris. Longe igitur vidua omnem avaritiam a se repellens, expeditiorem se reddet ad subveniendum pauperibus de facultatibus suis: Unde d. Ambrosius (in l. de vid. in princ.) dixit: Salubre est insuper, praeceptum quoque hospitalitatis advertere, ut hospitibus deferamus, quia nos quoque sumus hospites mundi. Quoniam vero sancta vidua, quae cum fame urgeretur extrema, venerationem Deo debitam reserebat: nec soli sibi usurpabat alimenta, sed cum filio dividebat, ne caro pignori superviceret, magnum pietatis officium, sed religionis uberius. Nam sicut

nenim filio oportuit anteferrere, illa propheta Dei et filio praeferrere debuit et salutem. Cui non exiguum victimam, sed vitae suae omne subsidium existimanda est delituisse, quae nihil reliquit sibi: tam hospitalis, ut totum daret: tam fidelis, ut cito crederet: et inferius (cod. lib.) subdit: Docuit Scriptura, quam misericordem in pauperes, et liberalem esse censuit, nec paupertatis debere contemtionem revocari: quia liberalitas non cumulo patrimonii, sed largitatis definitur affectu. Denique dominica voce illa vidua omnibus antefertur, de qua dictum est: Vidua haec plus omnibus misit. In qua moraliter Dominus instituit universos, ne quis a collatione ministerii paupertatis pudore revocetur; nec sibi divites blandiantur, quod plus videantur conferre, quam pauperes. Uberior est enim nummus a parvo, quam thesaurus a maximo: quia non quantum detur, sed quantum residet, expenditur. Nemo plus tribuit, quam qui nihil sibi relinquit. Quid tu dives egeni comparatione te iactas? et cum tota oneris pretiosam per humum trahens vestem, quasi inferior tuis, et parca ditibus honorari desideras, quia inopem collatione vicisti? Et flumina superfluent, cum redundant, gratior tamen haustus e rivulo est. Spumant et musta dum ferunt, nec damnus putat agricola quod defuxerit. Gomentibus aris dum cedunt messis, frumenta defoliant, sed deficientibus messibus, non deficit hydra de farina, et plena olei testa desudat. Excitant tamen dola ditium siccitas, cum viduae paucillimum olearium redundaret. Demum divus Paulus (1. Timoth. 5) inter alia quae viduis documenta tradit, illud assignat, ut si filios habent, bonae illorum educationis sollicitam curam gerant: unde divus Antoninus (3. part. sum. Theol. tit. 2. cap. 3. de stat. vid.) ait: Talis vero vidua debet filios educare, si habet, diligenter in timore Domini, ut illa venerabilis quae habuit septem filios, et eos hortabatur ad martyrium potius, quam relinquere legem Dei, ut habetur secundo Machabaeorum (cap. 7): et regina Blancha, quae frequenter admovebat filium Ludovicum regem Franciae, ne

unquam alicui peccato mortali consentiret. Consonant his quae d. Bernardinus (tom. 4. serm. 3) viduas admonerat dicens: Et tu vidua sis sollicita in faciendo filios tuos conseri, et capere corpus Christi, cum sunt intra dies discretissimi, videlicet, si esset foemina in duodecimo anno, si masculus in quarto decimo anno, et non curres facere tuis filiis vestes flammellatas; et si habes filiam, tu vidua, nunquam dimittas ipsam sine te: et si vadis ad missam, vel ad praedicationes, semper ipsam duca tecum, quia si dimittas ipsam domi, tu finaliter reperies ipsam praegnantem.

Ne tamen in enarrandis ornamentis, quibus viduae interius et exterius perpolitae esse oportet, prolixiorem quam par est sermonem faciam, ea quae brevi oratione complexus est d. Clem. Papa (lib. 3. Const. Apostol. cap. 3), hic reclabam. Alludens enim ad verba illa d. Pauli (1. Timoth. 5) Viduas honora quae vere viduae sunt, ait: Vere sunt viduae, quae vi nuptiae fuerunt, plurimorum testimonio probatae, bonis operibus intentae, viduae revera temperatae, castae, fideles, piiae, quae bene liberos educaverunt, et laudabiliter hospites receperunt, quibus opem ferre oportet tanquam Deo dicatis: et subdit (ca. 5): Sit omnis vidua mitis, placida, proba, malitiae experta, non iracunda, non bilinguis, non vociferatrix, non procaez, non maledica, non vorborum accepta, non curiosas, non curiosa; sed qui vidit, vel audivit, quod fuerit minus tecum, perinde sit, ac si id non viderit, vel audiverit; neque ulla alia res viduae sit curae, quam orare pro his qui subsidia ministrant, et pro universa Ecclesia. Quaecumque igitur vidua agnoscere desideras, an vera, vel falsa vidua sis, in horum sanctorum Patrum doctrinam tanquam in lucidissimo speculo, te ipsam intueri: facile enim inde tua viduitatis veritatem, aut falsitatem conicere poteris. Quod si maculas conspexeris, absterge; si decorem et pulchritudinem, gratias ago Christo Domino, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.